

Lebensabriffe einiger Schönthal'er Mekte und Conventualen.

281

antiquitatis replicandae studiosi, seu verius pio in matrem suam Speciosam Vallem provocati affectu ingenuaque erga patres et confratres suos moti dilectione, nec non laudabili in insinuanda religiosae posteritatis mentibus suorum memoria, zelo ducti, quae post plures, quas litteraria nostra documenta subiere tempestatum procellas, exinde, vel e memoriae propriae scrinio, eruere potuerunt, collegere in unum et seriatim collegarum nostrorum et carissimorum commilitonum, qui (ut pie credere licet) expectant agonis nostri consummationem, redivivam quasi ob oculos aciem posuere; desiderantes utique, ut et nos (si non degeneres) sic curramus, ut comprehendamus atque provocati multorum sive pietate in deum et religionis fervore, sive virtute et industria, sive sollicitudine et labore, sive boni communis necessitate et studio, virtuosus insistamus vestigiis, in quorum labores iam introivimus, vel intraturi sumus quodque ipsi duros perferendo labores seminaverunt, nos melimus, aut messuri sumus. Enimvero si vel ipsum sanctae religionis nostrae sanctissimae, quem in signum obligatae erga deum et confratres nostros fidei et dilectionis gestamus, habitum inspiciamus: si bucellam panis, quem comedimus, vinumque, quod bibimus, attendamus, fateri indubitanter cogemur, sudore et labore virtuteque ac monasticae observantiae antecessorum nostrorum fervore (quod virorum principum, regum, imperatorum summorumque pontificum diplomata monasterio illo intuitu concessa, satis ostendunt; praesertim Innocentii VIII. in bulla, data Romae 10. kal. Februarii [23. Januar] 1491 asserentis monachos Speciosae Vallis (istis alias calamitatis temporibus) singulis diebus, maxime in Quadragesima, per 4. aut 5. horas pro decantandis tantummodo matutinis, in choro persistere et tamen in condiendis cibis, ob defectum olei olivarum, non alio usos fuisse condimento, etsi cum periculo infirmitatum, quam oleo lini) nos in hac eadem ipsorum aquae ac nostra materna professionis domo, vestiri, ali, sustentari atque fovendi. Ne igitur, quae sic collecta fuerunt, pagellis quibusdam tantummodo inserta, cum tempore denuo perirent, aut pulveribus oblitterarentur, digna clariori luce res visa est. Proinde collatis inter se aliquot fratrum indicibus* seu catalogis, qui ad manum fuerunt et descriptis libellis nomina religiosorum continentibus nitidiori forma clariorique me-

thodo, auctior, emendatior et quantum, potuit expurgatior libellus iste nunc prodit. Quem tibi, si non aliunde, inde saltem haud ingratum jucundumque putare licet, quod inter alios te ipsum quoque ibidem legas et sicuti tu praecedentes seculus es et legis, sic alios te sequuturos et lecturos esse cogita. Omnes tamen unius corporis membra, unius matris filios, unius denique domini, sive viventes, sive morientes servos, sive enim vivimus, sive morimur, domini sumus, quin et fratres. Hoc insuper advertendum, prioribus temporibus potissimum nomina nuda (et ne illorum quidem justum pro temporum diuturnitate numerum; quis enim singulorum per quinque integra saecula huius domus conventum, ne dicam monachorum, nomina recensere, vel saltem nosse valeret?) poni, non ex materiae aut gestorum rerumve, quae scribi sine dubio mererentur, inopia, sed solo notitiae defectu. Posteriori aetate, a regimine scilicet dominorum abbatum Theobaldi II. et Sigismundi* ad vivorum usque tempora nonnulla, quae merito adiungenda censebantur quaeque audivimus vel vidimus obiter licet breviterque, tangendo solum, transcurra sunt potius, quam intexta. In primo nihilominus saeculo, solum Richalmus praeter sanctae decursae vitae virtutes, coelestes favores, incorporearum hierarchiarum subtili prorsus intelligentia atque penetratione clarus, libros implet, si cuncta pro dignitate, sublimitate, raritate mirabili tractanda forent. Eius tamen acta et in iis mentionem quorundam, deo dante, tibi exhibere conabimur, succincta, ordinatiora sicque disposita, ut pede inoffenso a pietatis cultore, et si intellectu infirmiori, decurri queant, justiore tractationem totius operis in alia tempora, atque aliis, qui (o utinam) perficere valeant, reservantes. Sed et, ne mortuis antistitibus sicut et fratribus ac benefactoribus nostris obliviosa manu ingrati existamus, iuxta morem sancti ordinis nostri, memorias eorum mortilogii tabulis ad certos dies inserere, quo in consultis pro ipsis missae sacrificiis ac precibus, memoria eorum specialius recolli possit, praeparataeque iam a multis retro annis chartae calamum, divina favente gratia, admovere ac finem, quoad licuerit, imponere, adlaborabimus. Tu interim his utere, lege et vale.

P. f. Angelus Hebenstreit. [Obiit anno 1669.]

[fol. 110^b.] Abbas¹ Joannes Leonardus Mein-

* Ich glaube, daß die indices et catalogi fratrum nur die Necrologien und Auszüge derselben bezeichnen. Siehe oben S. 280. Möglicher Weise könnten auch die für die Confraternitäten bestimmte rotuli defunctorum darunter verstanden sein.

Quellensammlung. IV.

¹ abbas steht auf dem Rande.

* Theobald II. regierte von 1611—26, und Sigismund von 1626—1638.